



**Tractatus Exegeticus Ad Librum III. Decretalium Gregorii
IX. Materiam successionis Testamentariæ, & Legitimæ,
nec non Parochorum, Regularium, & Patronorum jura,
aliaque ad rem Liturgicam spectantia ...**

Scharz, Oddo

Salisburgi, 1740

§. II. De Clausura Regularium, maxime Monialium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63798](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63798)

sicque hic Auctor Purpuratus Fagnani rigorem cum Navarro temperat.

9 De Deposito Religiosorum hic nihil attinet dicere. Impugnavit illud tanquam voto paupertatis exitiosum. Bernardus Van-Espen, sed ab hac labe

rursus vindicatum est à Petro Clenaerts in speciali Tractatu, qui inscribitur *Susanna innocens, sive avita Depositorum Regularium praxis*. Ad quem Regularem lectorem remittimus.

§. II.

De Clausura Regularium, maxime Monialium.

SUMMARI A.

10. Quid per Clausuram intelligatur. 11. Clausura Monialium est antiquissima, in variis Conciliis confirmata. 12. Eam egredientes sine rationabili causa præter reatum peccati mortalis incurrunt excommunicationem lætæ Sententiæ. 13. Ex certis tamen causis potest iisdem facultas egrediendi concedi, quæ recensentur. 14. Et quidem ab Episcopo, vel alio loci Ordinario. 15. Pœnæ egredientium enumerantur. 16. Claustra Monialium ingredi omnis conditionis & sexus personis sine licentia speciali Ordinarii gravissime est prohibita. 17. Potest tamen Abbas hanc licentiam imperiri, si Monasterium Monialium eidem subiectum est. 18. Si causa ingressus est notoria, licentia in scriptis obtenta opus non est. 19. Qualiter puellis educationis gratia ingressus concedi possit, exponitur. 20. In Monasteria virorum alteri sexui ingredi olim prohibitum non erat, bene vero hodie.

10 **P**ER Clausuram Regularem juxta cap. exiit, qui seminat de V.S. intelligitur omne illud spatium, quod muris, parietibus, & septis Monasterii ambitur, & clauditur, quo spectant officinæ, horti, aliaque habitacula intra Monasterii septa existentia. De Sacristia, & Choro ex Donato, & Pellizario notat P. Reiffenstuel *h. tit. num. 27.* si extra septa Monasterii collocata sint, ipsique Ecclesiæ contigua, sub Clausura non comprehendi, posse tamen à superioribus locorum ad eandem reduci.

11 Clausuram Monialium esse antiquissimam, temporibus Apostolorum

coævam, docent, & demonstrant tum Theologi, tum Canonistæ, quos refert clericatur in discord. forens. de regular. discord. 44. num. 1. in specie Gonzalez ad cap. 22. de rescript. num. 3. & ad cap. 8. de vit. & honestat. Cleric. n. 2. ubi ex Concilio Carthaginensi III. ex Synodo Trullano, ex Concilio Epaunensi, Cabillonensi, aliisque varios profert Canones, quibus Monialium clausura stabilita fuisse legitur. Quin, quod jam in veteri lege hujusmodi clausuræ vestigia extiterint, ex libro Judith cap. 8. & lib. 2. Machab. cap. 3. demonstrat Donatus de regular. tom. 4. tract. 3. quæst. 10. Primis qui-

Pp 2

dem

dem Ecclesiæ sæculis tam arctis non erat constricta ferris Monialium claustra, quin eam solvere, & ex causis rationabilibus egressum Monialibus indulgere potuerint monasteriorum. Superiores, ut testatur Clericatus d. l. imo, quod priscis temporibus monasteriis virorum juncta fuerint sanctimonialium habitacula, & Monachi, ac Moniales in eodem choro ad psallendum convenerint, ex recondita antiquitate eruit Gonzalez ad cit. cap. 8. de Vita & Honest. Cleric. num. 3. Et hoc promiscuum consortium citra offendiculum, aut scandalum cujusquam id temporis tolerabatur, quia devotio, ac virtus illius sæculi (ait Gonzalez citat. loc. num. 9.) nihil sevi criminis suspicari sinebant; frigescente vero devotione illa prohibitum fuit, ne deinceps monasteria duplicia virorum & feminarum erigerentur, vid. Concil. Nicæn. II. can. 20. Concil. Hispal. II. can. 11. Concil. Agathen. can. 38. l. 44. C. de Episc. & Cleric. Christian. Lupum in schol. ad Can. 20. Concil. general. VII. tom. 3. arctiori demum limite monasteria Monialium circumscripsit Bonifacius VIII. per specialem constitutionem, quæ refertur in cap. un. b. t. in 6. ubi Monialibus tacite vel expresse ordinem professis, præsentibus, & futuris in toto orbe existentibus egressus extra claustrum, quam perpetuam, & indispensablem esse vult, absolute interdicatur, ac insimul omnibus alijs personis, etiam honestis (nisi rationabilis, & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia) Monialium claustra ingredi prohibetur. Hæc porro salutaris constitutio, cum in pluribus locis vel non recepta, vel desue-

tudine rursus abrogata esset, per Concilium Tridentinum postliminio revocata, & renovata fuit sess. 25. de Regul. cap. 5. & deinceps amplius declarata per Pium V. in Bulla, quæ incipit: *Cura Pastoralis* &c. edita anno 1566. 19. Maji relata à Piafecio in *Praxi Episc.* part. 2. cap. 3. num. 53. & alia, quæ incipit: *Decor* &c. de anno 1569. 1. Febr. Item à Gregorio XIII. per Bullam, quæ incipit: *DEO sacris virginibus* &c. de anno 1573. 21. Januar. relata à Guarant. in *summa Bullarii V. monasteria Monialium* mibi fol. 443.

Quamquam verò recensitæ constitutiones tanto cum rigore fuerint conceptæ, ut præter reatum peccati mortalis claustrum egredientes Moniales, pœnam Excommunicationis (cujus absolutio extra mortis articulum S. Pontifici sit reservata) ipso facto, & absque alia declaratione incurrant, atque eadem etiam pœna concomitantes, & recipientes easdem feriantur, ut habet constitutio Gregoriana, nihilominus has pœnas evadunt, & licitus redditur egressus, si ex causis jure probatis, & cum licentia Episcopi, vel ejus Vicarii in scriptis obtenta fiat, supposito, quod ejusmodi monasteria vel Episcopo, vel S. Pontifici immediate fuerint subjecta. Concil. Trid. cit. cap. aliàs, quæ subjecta sunt superioribus Regularibus, ab iisdem licentiam obtinuisse sufficiet. Gibalin. de *Claustr. Monial.* disquisit. 1. cap. 5. §. 2. In casu vero necessitatis, & ubi periculum in mora esset, licentia quoque oretenus data egressum cohonestaret. Zechius de *Regul. Christian. de Regular.* cap. 3. n. 15.

Causæ verò, ex quibus licentia egrediendi Monialibus dari potest, jux-

ta constitutionem *Pianam* sunt: magnum incendium, infirmitas lepræ, epidemiæ, morbi contagiosi, ob quos sine periculo infectionis aliarum detineri, aut curari intra claustrum nequeunt. *cap. unic. h. t. in 6. Gutierrez QQ. CC. cap. 14. num. 7. Barbosa in Collect. ad d. cap. Trid. num. 25. Zerola in Prax. Episcop. part. 1. V. Moniales quest. 16. dub. 2.* imo, quod ex aliis quoque causis jure communi quidem, non expressis, sed tamen similibus vel urgentioribus Moniales clausuram egredi possint, defendunt contra Miranda, Gutierrez, & alios, Navarrus *Comment. 4. de Regular. num. 49. Azor part. 1. lib. 12. cap. 8. quest. 1. Sanchez lib. 6. Moral. cap. 15. num. 37. Tambur. tom. 2. disp. 20. quest. 2. Barbosa ad cit. cap. 5. Trident. num. 24. Corvinus de Person. Eccles. lib. 3. tit. 13. n. 24.* Unde possunt I. tempore belli periculi se in alium locum tutiorem recipere. *Barbosa cit. loc. num. 25. II. Potest Monialis in alio ejusdem ordinis monasterio fieri Abbatisa, vel Magistra Novitiorum. Conc. Trid. sess. 25. de Regular. cap. 7. III. Zelo sanctioris vitæ, & strictioris observantiæ ad aliud monasterium transferri potest. Zypæus in *Analys. tit. de Regul. num. 42.* obtenta tamen prius venia S. Pontificis, vel sacræ Congregationis, quæ causam ejusmodi transitus ordinario examinandam committere solet, ut docet Begnudeilius Bassus *Biblioth. juris tom. 3. in prax. monaster. §. 2. de Clausur. Monial. num. 35. IV. Si transferatur ad aliud monasterium correctionis causâ, quæ in proprio commode corrigi nequit. arg. cap. 41. de Simon. Barbosa d. l. n. 32. nam incorrigibilem**

ejusmodi Monialem ex monasterio ejicere prorsus non convenit, licet hoc de viris legatur statutum in *cap. 6. §. ult. h. t. V. Si totum monasterium transferendum sit in locum commodiorem ex rure v. g. in oppidum, quam translationem non modo approbat, sed imperat Concil. Trid. cit. cap. 5. in fin. opus tamen hoc casu consensu S. Pontificis, nec sufficere licentiam Episcopi, declaravit S. Congregatio apud Pyrrh. Corrad. *de Dispens. lib. 5. cap. ult. num. 14. VI. Si Abbatisa ratione feudi, quod monasterium forte à Principe seculari recognoscit, homagium in propria persona præstare deberet, nec per procuratorem ad ejus præstationem admitteretur, poterit cum decenti societate comitantium seniorum Monialium exire, ut tamen præstito homagio mox revertatur. cap. un. §. verum h. t. in 6. Vivianus ibidem.**

Porro, ut etiam recensitis casibus *14* egressus licitus sit, licentia Episcopi, vel alterius Ordinarii loci, jurisdictionem quasi Episcopalem habentis, opus erit, tametsi illa monasteria Monialium aliàs exempta forent. *Trid. citat. cap. 5. & Bulla Pii V.*

Pœnæ, ut supra jam innuimus, contra Moniales clausuram violantes, iisque cooperantes in dicta Bulla Pii V. sequentes constitutæ sunt, imprimis excommunicatio ipso facto sine alia declaratione incurrenda, & Papæ reservata tam contra Moniales extra dictas causas clausuram egredientes, quam contra licentiam concedentes, comitantes, recipientes. Secundo privatio dignitatum, administrationum, & officiorum obtentorum cum inhabilitate ad ea etiam impofterum obtinenda.

Pp 3

da.

da. Sanchez *d. l. num. 63. § 65.* ubi quoad hanc posteriorem pœnam sententiam declaratoriam requirit.

16 Circa ingressum intra clausuram Monialium habetur gravissima prohibitio in *cit. cap. un. h. t. in 6.* & Concil. Trid. *cit. sess. § cap. 5.* Bulla Pii V. & constitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Ubi gratia de anno 1575.* ut sine Episcopi vel Superioris licentia speciali in scriptis obtinenda nemini liceat, cujuscunque generis, conditionis, sexus, vel ætatis (septennio tamen majoris) is fuerit, septa monasterii ingredi sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrenda, cassatis omnibus privilegiis antehac Comitissis, Marchionibus, Ducissis concessis per *d. constitutionem Gregorianam.* Et ut Episcopus nonnisi in casibus necessariis hanc licentiam concedat, v. g. Medicis, Chirurgis, Fabris, & operariis. Et licet monasteria Monialium exempta forent, nihilominus Episcopi, *tanquam Sedis Apostolicæ delegati,* ad introducendam & conservandam clausuram jus habent, consequenter clausuram visitare, & ingrediendi licentiam dare debent. Trid. *d. loc.* Barbof. *ibidem num. 14.* alia vero jurisdictio per hoc ipsis concessa non intelligitur.

17 Quod si tale monasterium Monialium alicui monasterio virorum, vel Abbati subjectum, & incorporatum esset, licentiam ingrediendi ex justa causa ipse Abbas dare poterit. Tambur. *disput. 23. quæst. 1.* per declarationem Cardinalium ibidem relata. Abbatissæ vero similem potestatem concedendi ingressum intra monasterii septa non competere tradunt Barbof. *d. loc. num. 64.* Sanchez *cap. 16. n. 23.*

qui iidem tamen admittunt, quod Episcopus hanc potestatem in casibus frequenter occurrentibus vel Abbatissæ, vel Confessario facere possit.

Præterea, quod dictum est, quod 18 licentia in scriptis obtineri debeat, id regulariter, & ordinarie procedit. Nam, si causa ingrediendi notoria, & evidens est, hac licentia opus haud esse, docet Miranda *de Sanctimonial. quæst. 3. art. 2.* Vel si casus repentinus & periculum in mora fuerit, quo casu sola etiam Abbatissæ, si nimirum Superior adiri nequeat, utendo Episcopia, licentiam impertiri poterit. Barbof. *d. l. num. 72.* Sanchez *d. cap. 16. num. 34.*

De Puellis, quæ Monialibus edu- 19 canda traduntur, ut licita sit admissio, sequentia concurrere debent. I. Quod illæ educantur sine ancillis. II. Quod semel claustrum egressæ denuo admitti non debeant, nisi forte Moniales fieri vellent. III. Quod teneantur ad clausuram. IV. Quod recipiantur cum Superiorum consensu. V. Quod habeant annos duodecim completos, nec ultra vigesimum quintum ætatis annum ibi detineantur. Riccius *in Prax. educat. part. 4. resolut. 209.* Zerola *in Praxi Episc. V. Moniales §. 11.* Miranda *quæst. 2. art. 6.* Barbof. *ad cit. loc. Concil. num. 95.* Ex alia vero causa nec fœminis sine necessitate, imo nec matri ad filiam morti proximam invisendam licentiam dari debere decisum refert Zerola *d. loc. §. 8.* De accessu ad crates, sive Cancellos Monialium colloquendi gratia permissio, aut prohibito vide Card. de Luca *in Annotat. ad Concil. Trid. discurs. 36. num. 7. § 8.*

Quod

20 Quod monasteria virorum attinet, quanquam & in illis clausura observari debeat, ingressus tamen foeminarum in illa jure communi nullibi legitur prohibitus. Per constitutionem vero Pii V. quæ incipit: *Regularium de dato Romæ 23. Octob. 1566.* & aliam, quæ incipit: *Romanum Pontificem 16. Julii 1570.* interdicitur ingressus omnibus foeminis, quæ ad usum rationis pervenerunt, sub Excommunicatione

majori, licet etiam obtendant privilegia sibi indulta, quia illa à Gregorio XIII. per Bullam 1557. fuerunt revocata. Interim notat Bonacina de *Clausur. quest. 5. p. 2.* sub hac prohibitionem non comprehendi Reginas, Imperatrices, earumque filias. Sicut nec fundatrices illorum ordinum, ubi consuetudo est, eas admitti. Sanchez *lib. 6. cap. 17. num. 3.*

TITULUS XXXVI.

De Religiosis Domibus, ut Episcopo sint subjectæ.

DE Statu Regularium, Conversione, & Professione eorum in præcedentibus Titulis actum est. Jam etiam de Monasteriis, quæ juxta Rubricam *b. t. Domus Religioſæ* appellantur, aliisque locis Religiosis, eorumque tum subjectione erga Episcopum, tum exemptione dispectio instituenda erit. Paucis utrumque expediemus.

§. I.

Quid juxta sensum hujus Rubricæ sint Domus Religiosæ?

S U M M A R I A.

1. Domus Religiosa alium sensum capit de Jure Civili, alium de Jure Canonico.
2. Hoc jure veniunt omnia loca pia auctoritate Episcopi erecta.
3. Non etiam Oratoria privata.
4. Confraternitates, quarum antiquissima institutio est, si auctoritate Episcopi erectæ & confirmatæ sint, Religiosis locis merito accensentur.
5. Monentur Episcopi, ut abusus, qui irrepere possunt in ejusmodi Sodalitiis, antevertere studeant.

DOmus, aliaque loca Religiosa appellationem hanc sortiuntur aliter de Jure Civili, aliter de Jure Canonico. Illo quippe jure sola cadaveris humani illatione, vel sepultura locus Religiosus efficitur t. t. ff. *de*